QUAEDAM
DE
PHTHISI INTESTINALI PROPRIE SIC DICTA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO - MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE XXIX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR

JOANNES SALOMO KAPPELER
HELVETO-GYNOPEDIENSIS.

OPPONENTIBUS:

Dr. JAC. HUESER, GUESTPHALO.
M. Cand. CAROL. JEHN, GUESTPHALO.
Dr. FRANC. LUDOW. KELP, OLDENBURGENSI.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Indagatio ipsa rerum tum difficillimarum, tum etiam occultissimarum habet oblectationem; si vero aliquid occurret quod veri simile videatur humanissima animus completur voluptate.

CICERO.



MANIBUS

AMANTISSIMI, PRAECLARISSIMI

PRAESTANTISSIMI

MELCHIOR. AEPPLI,

DOCTORIS NEC NON COLLEGII SANITATIS PUBLICE TUENDAE ST. GALLENSIS PRAESIDIS

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS GRATISSIMAE
AC AETERNAE MEMORIAE SIGNUM

PIO ANIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Cogitanti mihi cum summos medendi artis honores aspirarem de argumento eligendo, quo usitato more literarum nostrarum partem qualemcunque tractarem, eaedem sese obtulerunt difficultates, quibus vexari plurimi solent, eundem laborem suscipientes. Cum enim experientia solidiori, unica doctrinarum medicarum magistra, destitutus sim, non nisi imperfecti aliquid in lucem proferam. Jam Medicina imbutus summo amore studium medico-historicum amplexus sum, non dubitans, fore, me ab aetate heroica Hippocratis ad nuperrima usque tempora descendendo variarum periodorum et laete florentium et tenebris obductarum cognitionem assequentem certissima via clariorem futurum esse. Cui consilio satisfacturus ad quaestionem historico — criticam perinde dissertationem inauguralem componendam satis magnam epitomarum copiam collegi et libelli hujus specimen conscribere in animum induxi. Sed et rei ipsius nimius ambitus et librariae inopia a proposito

desistere me jussit, ne aut sexcenties jam dicta denuo repeterem, aut opus plane mancum foras darem, quo nullus dignum se honore erudito orbi praebere possit. Igitur quae nondum penitus perscrutatus sum mecum retinere et annis maturioribus augere mihi animus est. Postea in Medicinam practicam me inductum viri maximi nominis Stark, Autenrieth, Schoenlein status hominum morbosos methodo naturae magis congruente et idcirco historico-naturalis appellata indagandos docuerunt. Quam quidem doctrinam si cum caeteris comparaveris, multo praestantiorem censeas et porro seponas Brownii, Jatromatheseos, Jatrochemiae [1]) eorumque systemata, qui omnium morborum originem atq. fontem in humoribus aut partibus solidis conjiciunt aliorumque erroribus, quos praejudicata opinio et scholae auctoritas et ornandae hypotheseos amor adeo frequenter per ea disseminarunt tumescentia, imo ea rejicias, quippe quae nimis leviter naturae vestigia prementia cruenta sibi condiderint monumenta. Denique quis est, qui nesciat nec cum moerore legat, quantum mali ac detrimenti attulerit generi humano inventum illud Mesmeri ita laudatum de magnetis viribus, quarum ope (scilicet magnetum artificialium) omissis caeteris somnambulismi ineptiis tantarum nuperi (perversarum)

---

1) Nuperrime J. B. S. Baumes e. g. in: „Versuch eines chemischen Systems der Krankheiten von den Bestandtheilen des menschlichen Körpers." A. d. F. Berlin 1802. 8. non minori tenuitate quam consequentia omnium morborum causas proximas in processu Oxygeneseos. Hydrogeneseos, Caloribeseos, Azoteneseos et Phosphoroneseos quaerit.

sanationum institutarum intolerantius se jactant, quibusque enarrationes recentissimorum miraculorum magnetica arte per Germaniam fero omnem, per Galliam, dilectamque nostram Helvetiam proh dolor peractorum subjungunt. Neque tamen importune eo insistam, infructuosum esse legendi laborem aut discernendi veri spem inanem, si modo prorsus persuasum habeamus, Historiam Literariam necessariam, si qua ulla medicinae pars, bono medico esse et non nisi summo cum damno negligi posse. Igitur pro viribus eam colamus — unicam ad veram eruditionem viam!

Liceat adhuc quaedam dicero de modo, quo systematis historico-naturalis cultores tentamen nosographicum tractarant. Quae jam Paracelsus et van Helmontus sermone tamen magis luxuriante docuerant et scriptis posteris tradiderant, ea denuo jure commemorabant scriptores. Secundum hanc methodum apte hinc descriptivam nominatam morbus — ens sui generis proprium est, positivi aliquid nec negativi tantummodo si valetudinem normalem respicias, aeque ac animal, aut planta aut fossile. Tres igitur cujusque morbi qualitates quoad structuram ad fabricam et ejus Mischungsverhältnisse ex germanae vocis idea; (idoneum latinorum verbum in mentem haud venit sive enim rationem elementorum organicorum dicere velim non tamen sensum absolutum habebo) aut aliis verbis anatomica physiologica et chemica. Nullae praeterea processus morbosi existunt rationes. Cum autem vita duplici dualismo (sit venia verbo) manifestetur Macrocosmo et Microcosmo et phaenomenis

organisationis contrapositis functionis non aliter fieri potest, quin et investiganti tibi prolixius duplex symptomatum series occurat et mehercle potius nodum in scirpo invenias quam ullum sine laesione materiali funus. Inde patet, qualis sit studium anatomiae pathologicae momenti. Quod vero nuperi quidam, qui sibi saltem magni viri videntur deridentes vanam et fere stultam sibi visam diligentiam proferunt et cum sua contra philosophia sublimiori, sic dicta naturali [1]), laudibus ad astra elata sapere sibi soli videntur optime refutant immortalis memoriae viri Haller, Bichat, Rudolphi, Andral, praesertim etiam medici Anglici, qui nullo pacto a sana philosophia [2]) abhorrentes illo studio oleum et operam minime perdi recte judicant.

Qua explicatione innixi, in dignitate symptomata organisationis et functionis parallela sistimus quasi morbi naturam simul constituentia. Dicenda aliquot mihi erunt de impedimentis explorationibus istis obstantibus et de gravi aetatis nostrae, tanquam si fugitivo solo oculo consideranti naturae fabrica taciturna adpareat, morbo et errore. Praeter notissima, uti sedis morbi errores, mutationes post mortem, disharmoniam inter loci affecti symptomata et sympa-

---

1) Haud dubie suspicaris me eos non intelligi voluisse qui inter theorias naturam ipsam contemplandam haud neglexere, nec quisquam multo magis Okenii cognatorumque de scientia summa merita pensiora ducat.

2) Nonne egregius ille Newton summum philosophum eum arbitratus est qui facti generalem rationem proposuerit?

thiae [1]) unicum hoc tantummodo quod addam habeo; saepius enim accidit, ut discrimina morbo durante et post mortem intercedentia ex anatomia generali, physica et chemica inquirendi adjumentis qualibus fieri deberet nec utamur nec interdum applicatione prohibita uti possimus. Talia sunt experimenta circa vires electricas et galvanicas, circa mensuram crassitudinis et cohaerentiae, circa gradum caloris et similia, quae quidem subtiliora vitia incassum cultro venaris. Quid ergo mirum, quod scientia physica et naturalis tanta tamque insignia nondum ceperit incrementa, si phantasmata morborum asomaticorum undique emersa sint?

Superest, ut quaedam dicam de modo, quo argumentum, quod thema dissertationis elegisse mihi placitum est, tractare mihi proposueram. Quaerat aliquis, cur illa asserta praemiserim; cui respondeam, ut phthiseos intestinalis ex meo quidem intuitu comprehensae illustratio perspicua foret. Nam longe justius videtur si supra dicta respexeris etsi dissidentibus auctoribus proprium phthiseos hujus genus constituendum. Veritatem hujus affati ita penitus agnosco, ut in sermone sequenti ea potissimum praeferre lubeat, omissis levioribus parergis, quae morbi generis characteri attribui solent. Doleo ac quidem mirifice me adversantem expertum fuisse collegam

---

1) Pristinis temporibus in febre nervosa et mucosa nemini exanthemata in intestinis invenire in mentem venit, et quis ante Ramisch in infantibus capitis et pectoris doloribus obsessis gastromalaciam suspicatus est?

Hellberg [1]) qui cum Louis et Andral in opinione perseverat, phthisin intestinalem semper esse processum morbosum secundarium, id est inflammationem typhum phthisin pulmonalem sequentem. Nec ego hoc omnino infiteor, si vel per minimum temporis momentum considero, quanti sint illius opinionis auctores: Van Swieten [2]), Petrus Frank [3]), Albers [4]) aliique; nolis putare velim, me eo contrariam sententiam suppressurum qui Hartmanni verbis utar, qui in scientiis ait nullam auctoritatem (communi sensu) valere, duntaxat argumenta. Reapse quoque duos exquisitos casus observavi, in quibus aegroti phthisin intestinalem primum passi sunt pulmonibus initio sanis et tunc demum etiam corruptis [5]). Adeamus sub finem vastationes in tunicis tractus intestinalis.

Eae in hoc morbo admodum satis spectabiles et luculentae nec non peculiares inveniuntur, ut non probabile sit, eos unquam fugisse, qui in nosocomiis versati sunt et corporibus dissecandis operam navarunt. Attamen, quod dolendum est labores adhuc non exhausti sunt, desunt prae aliis perscrutationes microscopicae et chemico-analyticae, quarum alterae

---

1) De Morbis Phthisicorum secundariis. Berolini 1832.

2) Commentaria in H. Boerhave aphorismos. Taurini 1764, P. IV. p. 1.

3) P. Frank epitome. Vol. VI. Viennae 1821. P. 428.

4) Dr. J. Fr. Herrmann Albers. Die Darmgeschwüre. Leipzig 1831.

5) De his conferri merentur ut puto quae infra de Aetiologia dicta sunt.

nos ulcerum genesin, quae est res gravissimi momenti, accuratius edocebunt, alterae ad comparationes et analogias viam significabunt, habent germanica voce: „einen comparativen Werth." Equidem vero has chemicis relinquere illas in praxin instantem differre cogor.

Jam satis est. Historias singulorum aegrotorum dissertatiunculae addere spatium non permittit cum jam dimidiam manuscripti partem typis auferam. Ceteroquin libellum lectoris benevolentis indulgentiae mere commendo et sibi persuasum habeat, me nondum talem laborem suscepisse et virium imbecillitatem et spatii ad scribendum concessi nimias angustias multo superantem nisi facultati Medicae satisfacere opus fuisset.

Accipiat denique gratias, quas possum, maximas praenobilissimus reverendissimus decanus noster h. t. illustrissimus Dr. ac Prof. Rudolphi pro libris ex bibliotheca sua praedivite lubentissime mihi concessis.

SCRIPTA ALIQUOT HUC PERTINENTIA ET USU DIGNISSIMA.

Brunneri, Joa. Conr. Experimenta nova circa pancreas, accedit diatribe de lympha et genuino pancreatis usu. Amstelaedami MDCLXXXIII.

Wagner, Joa. Dissertatio inauguralis sistens mutationes membranae intestinorum villosae in phthisi tuberculosa et febre nervosa. Viennae MDCCCXXIV.

Ejusdem tractatus Germanica lingua in: Neue medizinische Jahrbücher des K. K. Oestreich. Staats. Wien 1826—30. Tom III. et sqq.

Schoenleini, Luc. Drs. praelectiones clinico-therapeuticae, nunc ut audio prelo subjectae.

Dictionnaire des sciences médicales. T. XLII. Paris 1820.

Billard. Die Schleimhaut des Darmkanals im gesunden und kranken Zustande. A. d. F. von Urban. Leipzig 1828.

Abercrombie, J. Pathologische und practische Untersuchungen über die Krankheiten des Magens, des Darmkanals etc. A. d. Engl. von Gorhard von dom Busch. Bremen 1830.

Louis, P. Ch. A. Recherches anatomiques pathologiques et thérapeutiques sur la maladie sous le nom de Gastroenterite, fièvre putride, adynamique, ataxide, typhoide. Paris 1829. Tome II.

Praeterea: Albers l. c., Andral, Cruveilhier, van Halen, Conradi, Balling et multi alii. Pristinorum autorum opera accuratius Haller et Plouquet in repertoriis suis memoriae prodiderunt.

ADNOTATIONES HISTORICAE.

Morbus ipse tanquam vitam physiologicis radicibus infimis adorions haud dubie eadem vetustate fruitur ut prorsus genus humanum. Aliter res sese habet de ejus historia nosologica. Κακοδαίμων erat mirificum Van Helmonto et Stahlio et ita absconditum, ut peritia anatomica carentes id non penitus explorarent. Alii contra nec minus falsa funerum verecundia aut sacerdotibus ab indagatione anatomica propulsati analogos morbos cum phthisi intestinali confundunt ceu fluxum coeliacum, hepaticum, chylorrhoeam, dysenteriam, lienteriam etc.

Lubet igitur, nonnullos locos scriptorum laudare, unde patebit, phthisin nostram, etsi illis alia sit visa, ex majori saltem parte pristinis temporibus praesto fuisse, quis enim arbitretur, exulcerationes illas tam insontes fuisse?

Ab Hippocrate proficiscamur hoc modo nobis innuente [1]): „ἡ δὲ νοῦσος γίνεται ἐπειδὰν χολὴ καὶ φλέγμα καταστηρέξῃ ἐς τὰς φλέβας καὶ τὴν κοιλίην, νοσέει μὲν το αἷμα καὶ διαχωρέει ἐφθαρμένον, νοσέει δὲ καὶ τὸ ἔντερον καὶ ξύεται καὶ ἑλκοῦται.“

Adde porro Celsi et Galeni scripta:

„In interiore vero faucium parte interdum exulceratio esse consuevit [2]).“

„Proxima his inter (scil. χόρδαψον et εἰλεον) intestinorum mala tormina esse consueverunt: δυσεντερία [3])

---

1) Τοῦ μεγάλου Ἱπποκράτους ἅπαντα; edit. Kuehn. Lipsiae MDCCCXXVI. Tom. II. p. 401.

2) A. Corn. Celsi de Medicina libri octo ex recensione et cum notis Leonardi Targae. Argentorati cIↃIↃcccvI. Lib. IV. p. 184.

3) Ed. cit. lib. IV. Cap. XV. Sub finem capitis minii glebam cum salis hemina contritam ad curationem commendat. Ex toto perspicitur quod de propinqua re toties frustra verba consumantur quoties novae scholae condantur. Acerbissime in Medicina adhuc defideratur synonymatologia pragmatica quam ad concipiendam Hufeland ante tricennium jam exhortatus erat. Quantopere illa deficiente omnia mixta sint et turbata unicum exemplum praestabit: Ernestus Horn in: „Versuch über die Natur und Heilung der Ruhr," Erfurt 1806, et Joan. Georg. Zimmermann: „Von der Ruhr unter dem Volke im Jahre 1765." Zürich 1767. 8. dysenteriam Celsianam describunt. Conradi contra exulcerationes omnino dissimulat; nec idem eodem nomine intelligi volunt Nasse et Degner in:

Graece vocatur. Intestina intus exulcerantur; ex his cruor manat; isque modo cum stercore aliquo semper liquido modo cum quibusdam quasi mucosis excernitur: interdum simul quaedam carnosa descendunt: frequens dejiciendi cupiditas etc. febricula oritur [1]) longoque tempore id malum cum inveteravit aut tollit hominem aut etiamsi finitur excruciat."

Οἷον ἐπὶ δυσεντερίας ὁ δακνώδης χυμὸς ἄιτίος ἐστιν τοῦ πάθους, ἐν ἀρχῇ μὲν ἀποῤῥύπτων τε καὶ ξύων, ἐν χρόνῳ δε ἑλκῶν το ἔντερον; εἰ μὲν οὖν πρὶν ἑλκῶσαι παύσεται διεξιὼν οὐδέπω δυσεντερία τὸ πάθος ἐστίν εἴ δ' ἑλκωθῆναι φθάσειεν τὸ ἔντερον, οὐκ ἄν ἔτι συμπαύσειτο τῷ χυμῷ το γενόμενον πάθος [2])." etc.

Hos sequuntur alii:

Aetius: „Nosse tamen oportet ait [3]) quod aliquando quidem aliqua sui parte intestinum rectum exulceratur, aliquando vero totum et cum ipso etiam superiora."

Trallianus: „Aliquando etiam rosiones intestina et ventrem affligunt, quod si diutius persevera verit ad exulcerationem intestinorum perveniet [4])."

„Historia medica de dysenteria bilioso-contagiosa quae MDCCXXXI. Neomagi et vicinis ei pagis grassata fuit. Sydenh. opp." An Genius morbi ita variat? quod minime credo.

1) De nota febris proh dolor nullam mentionem fecit auctor.

2) Galeni opera omnia ed. Kuehn, tom. VIII. p. 25.

3) Aetii Amideni, quem alii Antiochenum vocant, medici clarissimi libri XVI. in tres tomos divisi. Basileae A. MDCCCV., pag. 176.

4) Alex. Tralliani Medici libri XII. etc. Joa. Guinterio Andernaco interprete. Basileae. Libr. VIII. Cap. VIII.

Brunnerus demum: „Purgantia et acria omnia in hoc casu (scil. cardialgia ob viscidiorem ac crassiorem conglomeratarum glandularum — Brunneriarum — succum) summe noxia ac deleterii nostri, quibus carnifices aliaq. hujus farinae generis humani carcinomata quacunque affecti calamitate adire consuetum est magno suo experiuntur damno ac detrimento irreparabili, ita nempe partes spolio hoc exutae ac denudatae magis abraduntur laeduntur ac lacerantur, tandemq. in ulcus degenerat immedicabile corrigibilis alias excoriatio [1]).“

Paulo prolixius de hac re loquuntur Boerhave et Hoffmann, et Felix Plater et Petrus Frank jam de febre hectica quasi secundaria mentionem faciunt. Jam vero initio nostri saeculi icones [2]) illustratae sunt non nihil ad novissimorum temporum. Quid autem dicam de recentioribus medicis Meckel, Andral, Weber, Balling, Conradi, Cruveilhier, Wagner quibuscum alii haud minoris ingenii contendunt. Nihilominus tamen si recte memini praeter Schoenlein nullus phthisin nostram proprio genere dignam habet.

---

1) Lib. cit. Cap. II. p. 73. De laticis lymphici chylo affusi differentia.

2) Baillie, Mathew a Series of Engravings accompagned with explanations, wich are intended to illustrate the morbid anatomy of some of the most important parts of the human body. London 1812.

SYMPTOMATOLOGIA.

Virtutes physiologicae et anatomicae. — Cum phthisis intestinalis plerumque sequela versetur Gastroenteritidis (Broussanianae) Dysenteriae aut Tuberculorum aut Scrophularum aut Impetiginum supressarum aut phlogoseos eorum morborum symptomata anteire consuescunt. Si eo modo phthisis oritur hoc tantummodo monendum est quod utrique processui quietis stadium intersit unde morbum alterum confectum alterum inchoantem agnoscas. Ceteroquin haud ignoscas et me non perperam judicasse censeas cum inter phthiseos causas haud minoris ducam dyscrasiam peculiarem, quam eodem jure vindicarem, quo cel. Rust lipomatosam et carcinomatosam.

Triplicem symptomatum seriem animadvertimus: prodromos, symptomata loci seu topica et affectum generalem. Describere primum oportet, qualis sit aegrotorum habitus. Homines sunt cachectici miseri tamquam omnia tormenta perpessi sint, nunquam vita gaudent, nutritione vitiosa laborant, corpus non alitur etiamsi haud raro inexpugnabilis edendi necessitas adest, tamen non refectionem accipiunt sed alimenta corrumpuntur; alvum habent irregularem paene diarrhoicam aegroti ob cibos inusitatos et inutiles sumtos. Accedit quoque color flavus et lividus, quem nuperi perbene „Abdominalcolorit" vocarunt; supervenit marcor et ad studia aut labores imprompta mens, vertigine periodica torquentur; quodsi malum crescit, somnus fit difficilis somniis gravibus intermissus aut omnino non accedit quod eo pejus est

et mali absoluti instantis testimonium. Lingua pituita canescente obsessa est et dentibus glutinosus humor inhaeret. Totus venter, praecipue praecordia aequaliter in utraque parte paullisper tumida nec sine ullo sensu doloris; ructus et flatus moventur, nec urina sincera nubeculas repraesentat et subsidentiam mucosam. Sub vesperum aegrotantes febris levis occupat, cutis calescit et febris eo finitur, ut totum corpus insudet; solent etiam initio febris propter ardorem aliquem sitire. Huc pertinet animi morositas maxime timenda, cum vel morbum difficulter ferri indicet.

Quod si vero malum incrementum cepit, dolores suscipiunt ex regione iliaca dextra modo assiduos modo praetereuntes, circa umbilicum et huic proximis Jejuno et Ileo rariores occurrunt; dolores impressione externe adhibita augentur; ac ne omittam puerum tam ingenti dolore cruciatum, ut manum non sufferret quamcunque modice distantem, nedum ipsis ventris teguminibus impositam. Quo magis expanditur exulceratio, eo acrior est dolor. Neque protinus infallax symptoma, quod saepius ut in hepatitide contrario latere perspicitur. Dolorem vomitu intercedente fixum fieri teste Richtero [1]) me fugit. Si superiores partes affectae sunt, vomitus incidit: oportet autem discernere utilem sanum vis medicatricis molimen ab inutili sive morboso, ubi non solum, quae corrupta sunt et superflua, sed omnia ejiciuntur, quae

1) Specielle Therapie. Auszug aus dem grofsen Werke tom. II. pag. 240.

venter continet. Ubi ulcera sedem habent venter tumescit, digitis non cedit sed murmurat, et percussio Auenbruggeri sonum dat obtusum et clangore carentem. Ad hoc alvi evacuationes. Quod ad has attinet hoc me experientia docuit: I. De colore dicendum est, quod nil habeat constans. II. Massa propulsa nequaquam evacuationis ardori respondet. III. Dejectum ipsum chartam Lacmo tinctam nec coeruleam colorat, nec coeruleam rubram, qualecunque autem sit, pejoris est odoris quam ex consuetudine. IV. Sanguis admisceri solet, sive arteriosus et tum lineis e rubro candicantibus — sive venosus et tum globulis coagulantibus [1]). Alvus semper perliquida. VI. Eo crebrior quo auctior affectio, proinde fit paralytica nocturna et inter febrem fluit nec aegrotum conquiescere in cubili patitur [2]). Saepe

---

1) Si permagna sanguinis multitudo submittitur ut Abercrombio contigit l. c. pag. 359 certe est degeneratio carcinomatosa.

2) Memoratu dignissimum est quod vetus auctor de analogo morbi statu scripsit: „Dilutus et aquosus omnino sanguis interdum — effunditur adeo ut serum potius tinctum nonnihil sanguine et veluti aquam in qua caro cruenta adhuc abluta est, subrubram quam exactam sanguinis rubedinem referat, fluxusque hepaticus cum ab hepate hunc prodire putent communiter vocatur. Hic sine dolore copiose admodum fit noctuque magis afficit diuque saepe durat, vires functionesque naturales admodum dejiciens et cum siti aliisque accidentibus eveniens; huic non absimilis est fluxus cruentus, dilutus etc." — Felicis Plateri, Archiatri et Professoris Basil. Praxeos Tractatus III. Basileae 1608. Cap. XI. pag. 875.

Et paulo infra pag. 881: „Causae verae horum intestinorum affectuum unde praeter naturales ejusmodi excre-

fit, ut in muliebribus ex vagina et in viris ex urethra si minus pituitae tamen puri simillima quaedam effluant. Denique haud obliviscaris, eas evacuationes cum alvi retentionibus interdum alternare consuescere.

An pus excernatur? Difficilem quaestionem esse cum Petro Franckio consentiunt autores. Albers [1]) in pluribus quam centum casibus nullum se vidisse contendit.

Inter omnes satis constat, nullum puris firmum κριτήριον existere, ne illo Berzelii quidem excipiendo nec Grasmeyeri nec Gruithuisenii. Etiam Louis [2]) et Abercrombie ad Alberti sententiam accedere videntur; alii quidem se experientia edoctos contrarium asserere dicunt, cum fere semper pus viderint. Mittamus istas controversias, ea de causa ineptas, quod puris natura non nisi eo redigi potest, ut id organo dissoluto par ponamus; igitur quemadmodum organa, ita pus differt.

Subsequitur mox febris hectica, sine qua nulla

---

tiones exsurgunt praeter causas obstructionum, vulnerum et ulcerum intestinorum — etiam medicamenta purgantia, clysmata, venena assumpta etc.

De Diarrhoeis conf. protinus:

Van Swieten. Commentarii P. IV. pag. 1.

P. Frank. Epitome Vol. VI. Viennae 1821. P. 428.

Naumann. Handbuch der medizinischen Klinik. Bonn 1829. Pag. 576.

Berndt. Die Fieberlehre. Bd. II. Lpsg. 1830. P. 621.

1) L. c. pag. VI.

2) Anatomisch-pathologische Untersuchungen über die Lungenschwindsucht. A. d. Franz. von Carl Wiese. Leipzig 1827.

phthisis existit, pulsus [1]) celer frequens sed parvus debilis vermiformis tempore diminuens; accedunt porro sudores nocturni vehementes primum particulares tum generales, a ventre exeunt et in pectore aut capite finiuntur iis in Rheumatismo - Miliaria haud alieni. Quibus macies insuper additur adeo ingravescens, ut aeger ad sceleti formam mox reducatur ac citius ultro quam in tabe dorsali. Laennec et Berends cor imo atrophum viderunt. Lingua ab initio albida, intermixtis rimis dehiscentibus vel colore ictereo uniformi tincta, postea fusca, sicca crustis nigris variegata, urina vero jumentosa reperitur. De febris charactere multa locuti sunt certe de re simplicissima, plerumque solet esse erethica aut synochalis incipiente morbo, denique torpida. (atactica, adynamica, asthenica [2]). Pauca afferre liceat de Hecticae origine, multo majoris momenti causa. Inprimis oportet pus esse receptum in sanguine [3]),

---

1) Pulsus frequens celer atq. inaequalis, non tamen validus in perseverante febre ob imbecillitatem quae sequitur, existit. Fel. Plat. l. c. pag. 21.

2) Falso Raimann tria hecticae stadia esse putat: inflammatorium, suppurator. et colliquativ. Ejusdem: Handbuch der speciellen Pathol. und Therap. 2ter Bd. Wien 1826. Pag. 235.

„Tres hecticae gradus statuuntur, incipiens vel adaucta aut confirmata hectica (Marasmodes)." Plater l. c. Cap. II. pag. 13.

3) Extra vasa hoc est venas et arterias putredo facta febres excitare quoque potest si ea vapores tetros vel putredinis portionem per vasa eadem ad cor usque transmittendi illud calore aliquo putri afficiat unde febres lentae etc. Plat. pag. 70.

tum nervorum commercium inter sensorium et organon phthisicum haud interruptum, deinde organum debet esse altioris physiologicae dignitatis et certi ambitus, nam aliter incertum est quando febris ventura sit. Febris et suppuratio invicem nexu pathologico continentur. Febris exacerbationes et remissiones facit, illas sub vesperum, easque frigus et horror antecedunt, cutis fit arido-sicca, in facie quidem venulae rubescunt ideoque rosam hecticam adesse dicunt, sub matutinum tempus febris minuitur sed nunquam ex toto remittitur.

Proximum est, ut de complicationis genere dicam, eoque medicis captiosissimo si quidem hecticae intermittens quotidiana vel tertiana copulata sit [1]). Facilis est ipsarum distinctio, nam in intermittente quotidiana vera paroxysmi prima luce aut paulo post meridiem excitantur, intermittentis vero hecticae impetus inter crepusculum fiunt, in genuina hectica proinde frigus contractum, ardore sequente intolerabili, in intermittente contra frigus acrius est et per

---

1) Confr. Petr. Frank. De curandis hominum morbis epitome etc. Manhemi 1806. Lib. I. pag. 73 sqq. et lib. V. pag. 509 sqq. et ejusdem manuscripta relicta et a fratre Josepho curata.

Verum et intermittens hecticae quam excitavit ad huc copulata esse corpusque simul afficere potest. Quod non solum ex summo corporis marcore qui febrem intermittentem sequitur sedet quod die quietis lenta haec febris nihilominus adsit; pulsusq. aliisq. illius indiciis deprehenditur. Uti et si jam prius hectica laborans aeger intermittente corripiatur facile eam supervenisse et illius signis cognoscitur etc. Plat. l. c. pag. 15.

idem temporis stat ut ardor; hecticam praeterea macie, sudoribus et alvi evacuationibus excellere jam supra monitum est. Eodem fere modo inter hecticam et intermittentem tertianam discrimina exquiri debent.

Externis illis phaenomenis interna respondent, scilicet ulcera modo inflammationem modo tuberculos sequentia modo etiam per se incipientia; plerumq. vero tuberculi adesse solent. Notandum est planitiem secretoriam gigni, unde pus effluat. A Meckel perbene hoc demonstratum est in anatomia ejus pathologica. Quoniam autem corporis humores non magis nutritioni sed suppurationi inserviunt, aegrotus tabescit. Uti in Diabete omnia urinae fabricatione hic puris consumuntur. Praeterea non negligendum est, eam anomalem secretionem caeteras haud coercere, cum pari modo auctae sint. Inde perspicias, processum phthisicum in propria naturae virium alienatione fundatum esse nec tantummodo in phlogosi amplificata.

Quod ad anatomiam [1]) attinet pauca de tuberculis saepissime phthisin comitantibus et antecedentibus loqui mihi opus est. Plerumque telae cellulosae insident vasculis diviti; illinc per tunicam muscularem [2]) et serosam serpunt. Quicunque tuberculus ex germine constat et involucro ut plantae

---

1) Conf. Medizinische Jahrbücher des K. K. Oestr. Staats. Neueste Folge. Tom. prim. Wien 1829. Drittes Stück. III. p. 82. et tom. seqtm. anni 1830.

2) Louis contra ut Ramisch gastromalaciae sedem ita tuberculorum in tunica musculari esse putat.

anggiospermiae, initio et statu immaturo gelatinoso-mucosam materiem continent, et magnitudinem habent acus capitis et formam rotundam ob tractus intestinalis tonum; obsident partes quam maxime immobiles, ex eo in ventre coecum, in stomacho pylorum in pulmonibus alas superiores; quod quidem ni fallor Schoenlein primus monuit, deinde partes, ubi glandulae Peyerianae ac Brunnerianae maxime excultae sunt [1]). Si vero tuberculi in ulcera transeunt pericardia dirumpuntur et quoad speciem irregulares fiunt modo rotundi modo tri-quadrangulati [2]) etc. In medio semper punctum centrale videtur; ulceris margo est quasi vallo munitus ex gluma tuberculi dehiscente, ceterum impar subfossus nec non colore pullo; fundus griseo-fuscus, impressionibus impari-linearibus interquo eas vibices membranosae flagelliformes, igitur ulcus asperum et callosum sentiri solet; nonnunquam vasorum lumina animadvertuntur unde faeces sanguine tinctae de quibus supra locuti sumus. Wagner texturam ulceris perfecti ita describit: „Die Textur der zur vollen Blüte gelangten Darmgeschwüre erscheint mannigfaltig verändert, sie zeigen unterhalb ihrer äufsern dunkler gefärbten fein gefaserten Schichte ein aus kleinen mit braunen und einer fest ansitzenden consistenten grauern Masse ausgefüllten Zellen bestehendes Gewebe,

---

1) Conf. Brunneri opus s. c.

2) Conf. icones in opere Lesseri, die Entzündung und Verschwärung des Darmkanals, eine selbstständige Krankheit. Berlin 1831.

an dessen Grund durch die weifsliche etwas dickere und feste Zellhaut eine deutliche Grenzlinie gegen die Muskelhaut gebildet wird. Diese musculöse Membran erscheint zuweilen zu einer halben Linie und darüber angewulstet wobei vorzugsweise deren Querfasern angeschwollen sind [1]).

Exulceratio in tunica mucosa incipit et in serosa finitur. Huic nil addendum nisi quaedam de ulcerum propagatione, quae eodem fere modo fit ut in ulceribus syphiliticis, quae quidem per longum temporis spatium solidaria deinde circumcirca socios sibi parant. Aut ulcera confluunt et organorum continuitatem sequuntur. Meret quoque quae attingatur membrana illa propria morbosa, villosa quae secretionis planitiem tegit [2]).

Ulcus phthisicum nullum contagium procreat nec volatile nec fixum.

Nec illud nescire oportet phthisin raro puram adesse sed cum aliis morbis complicatam. Quorum sunt tuberculi, tum scrophulae denique infimum morborum genus phlogosis qua cum phthisis admodum satis crebro conjuncta est, ut falsa ei homogenea habita sit, quasi duae res vel simul concurrentes causali nexu necessario inter se cohaerere deberent. Qua de re Schoenlein audiamus optime ita disse-

---

1) Medicin. Jahrbücher des k. k. oestreich. Staates. Neue Folge 3r. Bd. pag. 590.

2) Lector benevolens ultiorem illustrationem concipiat ex operibus Meckeli, Andral, et Morgagni de causis et sedibus morborum.

rentem: „Diese Inflammationen haben das Eigenthümliche, daſs sie sehr eng umgrenzt sind, sich meistentheils, wenigstens anfangs bloſs auf 1 — 2 Linien rings um die tuberculose (etiam circum ulcus phthisicum) Maſse beschränken. Wo zahlreiche Tuberceln (non solum dum tuberculi adsunt res ita contigit sed etiam ulceribus jam apertis) zusammenstehen ist auch die Inflammation verbreiteter indem die einzelnen Inflammationskreise in einander zusammenfliefsen. Ferner sind diese Inflammationen hartnäckig, chronisch schleichend, und die Krisen sind ganz eigenthümlich. Sie sind nämlich höchst unvollständig, häufig fehlt die Hautkrise noch häufiger die Harnkrise; jener eigenthümliche Niederschlag, welchen man bei Inflammationen in sonst gesunden Gebilden sich bilden sieht fehlt ganz oder ist sehr spärlich. Letzteres ist wichtig bei manchen Krankheiten namentlich bei Kranken, die man früher nicht gesehen hat um mit einem ziemlichen Grade von Gewiſsheit bestimmen zu können ob das Organ sonst gesund sei. Ich sah den Harn helle werden, sich klären aber ohne Ausscheidung oder jene Ablagerung wie im Harm der Individuen, die an Pneumonie (in peritonitide sedimentum illud haud dubio lateritium perspicitur) leiden aber sonst gesunde Eingeweide haben (pulmones aut viscera). Dieser Mangel des Sediments läſst mit einem Grade von Bestimmtheit voraussagen, daſs das Eingeweide afficirt sei, obwohl wie sich von selbst versteht der Schluſs sich nicht umgekehrt machen läſst.“ Hujus effati auctoritatem ita agnosco, ut non dubitem

eum subscripturum esse, quicunque semel phthisicum hominem observaverit. — De exitu morbi. — Morbus est peracutissimus raro tantummodo subacutus, intra duas vel tres hebdomadas finitur nisi mox succurritur. Imo raro fit ut intervalla lucida intercurrant. Neque hoc nos terrere debet; nec spes unquam dejicienda. Jam dissectio cadaverum, quae alienis malis occubuere ulcerum cicatricationem praebent, tum vero existunt, qui a gravi morbo recreati sint, unum ipse vidi et alium in nosocomio Juliano curaverunt feliciter, et revera phthisin fuisse ex visceribus prolapso ano patebat; res omnis in eo pendet ut quam potius fieri possit morbum recte diagnoscamus non tam phthisin generatim quam ejus speciem. Sanatio partialis mihi possibilis videtur si quidem morbus sisteat, ubi operatio ani artificialis institui potest. Nulla do hac re in autoribus inveni [1]), de stricturis autem intestinorum et stenosi multa loquuntur. Proh dolor saepissime aegroti morte opprimuntur, sequitur illa paralysin viribus exhaustis aut intestinorum perforationem [2]), morbus etiam haud

---

1) Nisi ea scriptorum verba excipias paululum id spectantia ut: Sabatier in: Mémoires sur les anus contre-nature. Mémoires de l'Academ. de Chirurg. Vol. V. p. 592.

Chelius Handb. d. Chirurg. Heidelb. u. Leipz. 1828. I. Bd. II. Abtheilg. p. 384.

Dessault. Abhdlg. über d. widernatürlichen After in Chirurg. Nachlafs Bd. II. Thl. IV. pag. 65.

2) Nouv. Journal de Médecine. Jan. 1818. p. 1.

De la perforation de l'intestine grêle dans les mala-

raro aliis malis, quae antecederant obrutum hominem consumit. Mortis instantis signa sunt dolores acerbissimi, sensus minusculus, facies Hippocratica, pulsus oppressus, nimius vomitus, diarrhoeae nocturnae quin etiam haud cessantes, calor mordax in corpore dum manus et pedes infrigescunt, sudores glabri mali odoris, lingua sicca scabra quasi penicillo detersa, denique quod per omnia genera phthiseos perpetuum est febris magis magisque lenta et subcontinua [1]). Neque praetermittendae mentis alienationes notatu dignissimae. Nam ut in ultimo stadio phthiseos pulmonalis anima perturbata est luminis praestricti ita ut quod satis notum est haud stolidiori quam alacriori sanationis fiducia impleantur et quo magis dilabantur eo minus hilaritatem perdant, ita qui phthisi intestinali laborant praesagiente mirandum in modum praediti sunt mente et perbene malum intrinsecus intuentur; quo nil injucundius medico accidere potest quam si ad lectulum adnixus artis illusiones ferat. Non raro fit ut aegroti horam certius imo abeundi temporis punctum praedicant, quae ut primum perceperint medici periculum fecerunt Reili medicamenti quo aegroti a vero tempore depellerentur; sed spes eos fefellit; idem enim fere est quam si quis procellariam necet ne tempestas irrumpat.

---

dies aïgues. In Mémoires et recherches anatomico-pathologiques sur diverses maladies. Paris 1826. p. 236.

Albers l. c. pag. 323 et 363.

1) Horum febricitantium sanguinem pus vehi veteres medici scribunt.

Denique mors adventat per episoda. Accedit carcinoma [1]) vel ventris meteorismus vel qui maxime timendus est hydrops organicus cum oedema pedum, ascite, hydrothorace etc. Aegroti ubi convaluere facile de integro in morbum incidunt nisi nôxiis omnibus abstinent.

Aetiologia. Supersedendae sunt theoriae inanes et ineptae de causa morbi proxima aut si vis de ratione ejus ultima sine qua naturam morbi non intelligi posse perverse quidam contendunt. Igitur ad certiora transeamus.

Mom. int. Primum infitias iri non pollent praedispositionem quandam vel indolem haereditariam (ut in scrophulosi et tuberculosi) cui respondet habitus haemopticus virtutibus notissimis excellens. Ad hoc cutis facile vulneranda et membranarum totius corporis idiosyncrasia haec ut vulnera iis illata non prima reunione sanentur sed pus moveant. Praevalet sanguinis magna lymphae copia nec non hypertrophiae studium; succi autem depravati sunt et male nutriunt corpus. Scire licet morbo occupari solore infantes et adolescentes praecipue milites quique etiam inter juventam senectutemque sunt, saepius vere et autumno quam aestate et hieme, amicior contra morbus mulieribus. At si calor a primo vere orsus aestatem quoque similem exhibet necesse est quod eadem temporum constitutione typhus abdominalis grassari solet etiam crebiores phthises in-

1) Sammlung auserlesener Abhandlungen. Bd. VIII. p. 552.

testinales subsequantur. Quorum glandulae Peyerianae et Brunnerianae [1]) communem magnitudinis si vel explanationis modum superant morbo facile opprimuntur.

Mom. interced. His adnumeranda est malorum turma quam antecessus sermo tractavit, jamque nil restat praeterea nisi species inde ortas non sine autoribus enumerem:

I. Simpliciter ulcerosa etsi rarissima occurrit tamen priorem hunc locum teneat quippe quae genuinae phthiseos imaginem optime imitetur.

II. Spec. dysenterica [2]) ob morbum, quem sequi solet

III. typhosa [3])

IV. quae morbum mucosum [4]) sequitur

V. quae Dothionenteritidem [5]) sequitur quae plerumque colo inhaeret rarissime tractui tenuiori.

---

1) Consulas quaeso Dr. C. A. Rudolphi Grundriſs der Physiologie II. Bd. II. Abtheilung. Berl. 1825.

Fohmann — et van Halen: de glandulis conglomeratis, specimen inaugurale Leodii 1830. pag. 25.

2) Praeter Sydenham, Boerhave, Cullen, Zimmermann, Horn, Nasse etc. Schumacher Fr. Beiträge zur Nosogenie u. Nosologie der Ruhr. Frankf. 1813. Stoll in: Traité de la dysenterie par Mr. D. — à Bruxelles 1789. p. 161.

3) Wagner — Schoenlein (de typhis) etiam Puchelt in Heidelbgr. Jahrbücher Bd. III. p. 171.

4) Roederer et Wagler tractatus de morbo mucoso. Ed. nova. Parisii 1816.

5) Roederer et Wagler o. c. Chauffard traité sur les fièvres prétendues essentielles. Paris 1828. p. 129. Bretonneau sur la dothienenterie. Lancette française Maj 1829. Guersent etc. Louis per indices accuratissi-

VI. dyscrasica [6]) (ampliori sensu) hujus comites sunt cancer, scirrhus, Melaena etc.

VII. scrophulosa [7]) etiam phthisis meseraica appellata, species frequentissima.

VIII. syphilitica [8]) i. e. syphilide complicata sive tincta (Veteres med. perbene de tinctura morborum ita sese habentium locuti sunt.

IX. tuberculosa [9]) adeo frequens ut quincunces aegrotos invadat. Sedem habet usitatissimam in Coeco circa valvulam Bauhini.

---

mos qua aetatis ratione rem bene illustravit in: Recherches sur la gastro-enterite. Paris 1829. tom. II. p. 451.

6) Dr. Th. E. Beezely in Philadelph. Journál der medic. u. physicalischen Wissenschaften. Vol. VI. p. 350 — 353.

7) Albers o. c. p. 371. Car. Geo. Theod. Kortum Commentarius de vitio scrophuloso II. tom. Lemgov. 1789. 90. 8. Hufeland Ch. W. Ueber die Natur, Erkenntnifs u. Heilart der Scrophelkrankheit III. Aufl. Berl. 1819. 8 Carmichael Henning et Goodlad über die Scrophelkrankheit. Nach d. Engl. frei bearbeitet von Ludw. Choulant. Leipzig 1818. 8.

8) Albers l. c. 365. Jobert traité théoretique et pratique sur les maladies chirurgicales du canal intestinale. Paris 1829. tom. I. p. 195.

9) Praeter Wagner et Schönlein: Bierbaum dissertat. inaugur. Bonn 1826. p. 1. Louis o. c. p. 67 et 68. Meckel, Handbuch der pathologischen Anatomie Leipzig 1818. tom. II. pars II. pag. 38). Bayle sur la phthisie pulmonaire. Andral clinique médicale ou choix d'observations recueillies à l'hôpital de la charité Tom. I. Deuxième edit. Paris 1830 et ejusdem Grundrifs der pathologischen Anatomie aus dem Französischen übersetzt von Dr. Fr. W. Becker. Leipz. 1830. tom. II. p. 78.

X. species quae in phlogosi originem capit [10])

XI. arthritica [11]), in ea pus procreatur concrementis lapideis impletum nec non lentibus acuum capitibus uvarum passarum acinis cerasorumque, Melolontharum capitibus et aliis ejusmodi generis rebus simul cum alimentis sumptis.

XII. phth. intestin. senum [12]) stimulo faecalis materiei genita habitu haemorrhoidali praevalente.

XIII. Exanthematica post scarlatinam [13]), variolas [14]), morbillos [15]) et psoram [16])

XIV. Malaciformis [17])

XV. Organica ex hepatis [18]), renum [19]), uteri [20])

---

10) In Lesseri oper. multae hujus generis occurrunt.

11) Schönlein script. c.

12) Praeter Schönl. scripta nullo alio loco hanc speciem descriptam inveni nisi eam intellexisse Albertum putes l. c. p. 236 ubi de tela cellulosa incrassata loquitur.

13) Schönlein; pemphigum subsecutam esse Albers monet l. c. p. 97. et Jos. Frank praxeos med. univers. praecepta Vol. II. pars 1 p. 106 et 410.

14) Stoll Systema med. ration. Halae 1736 p. 148 et 165. Kettelaer de aphthis commentatio pag. 5. Vogel Handb. der practischen Arzneiws. Wien 1796. p. 254.

15) Rougeole auct. Montfalcon, in Dict. des sciences méd. Tom. 49.

16) Autenrieth.

17) Cloquet, nouveau Journal de Médecine par Corvisart 1818.

18) Craz, de vesicae felleae morbis. Bonnae 1830.

19) Pemberton. Ueber die Krankheiten des Unterleibs. Bremen 1821. Troja Kkhtn. der Nieren.

20) Lair über die Krankheiten des Uterus. Weim. 1830

et vesicae [21]) vitiis exiens aut ex ulceribus, sudoribus etc. suppressis.

Mom. ext. — Cum de iis dictum sit quae corpori inhaerendo nocent ad ea veniendum est quae alia ratione inimica sunt, id est cibum et potionem et aërem, atq. necesse est subinde singulas eas nominare. Scire igitur oportet ad morbum evocandum generis valentissimi esse acria omnia et rancida ut poma cruda, panis fermentata praesertim secalina (germane Pumpernickel ut eam ad Rhenum incolae vocant) et plagae meridianae versantibus cerevisia alba Berolinensis, addendum est mustum et vinum istud pessimum ex racemis futilibus cum aqua expressum quo fundorum possessores in valle Moeniana operas pessum dant, tum vero metallorum oxyda nempe plumbi et mercurii et cupri unde aliquando et enteritis toxica cum ulceratione nascitur. Ad haec aër humidus nebulosus gravitate minima quo e. g. per aestatem anni MDCCCXXIX. fructi eramus. Propagationem quoque geographicam paucis verbis considerare oportet. Itaque videmus phthisin nostram certes fines terminosque si et aequatorialium et polarium rationem habueris sibi constituisse atq. frequentissimam grassari in regionibus tropicis, in India occidentali et orientali, in Columbia, Guatemala, Mexicone et in insulis sinus occidentalis, nec non in insulis nominatis, Sumatra, Borneone, Java, Ceylone et iis terrae plagis orientalibus, praecipue in

21) Sömmering. Ueber die Krankheiten der Harnwerkzeuge bei alten Leuten. Frankf. 1822.

terris maritimis et ubi oryza colitur. Denique quo altior (haec est nostra lingua die Elevation) terra supra maris aequorem sita eo rarior occurrit phthisis intestinalis. Itaque Alpium montes non contingit dum in vallibus praesertim opacis ut in Rhodani fluminis lateralibus et in pago Helveto-Rhenano (ubi saltem teste Aeppli phthisi finitimi morbi inveniuntur) haud paucos homines consumit.

Diagnoseos et prognoseos expositionem transire et lectorem ad symptomatologiam remittere urgente tempore et spatio cogor. Hoc unum moneo quod pro opum aegroti modo prognosis adhibenda sit; quo divitior is est eo major sanandi spes. Nam ad curam saepissime oportet peregrinari i. e. alias terras tendere, aut ubi id non licet mori. Concedo quidem saeculum nostrum omnibus artibus et literis excultissimum in aegrotis subveniendis maxima praestitisse, attamen superest adhuc ut qui regna obtinent invicem sibi mittant et sustentent aegrotos illos inopes quos in patria medici restituere nequeunt.

Epitome therapeuticum. Etiam quod ad curationem attinet potiora tantummodo excerpam. Jam de singulis indicationibus.

Indicat. prophylactia. Medicamentis non tollitur indoles sed eo ut qui incipiente phthisi laborant omnibus alimentis abstineant de quibus supra [1]) actum est.

Indicat. causarum remotarum. Postulat prout sit species apparatum antiphlogisticum, antiscrophulosum,

1) Conf. cap. d. aetiolog. Mom. ext.

antexanthematicum (hic praecipue methodus derivans) antisyphiliticum, antituberculosum, antarthriticam, antityphosum, antisepticum etc. Indicat. causarum proximarum, aut vitalis (quia semper hoc in morbo periculum adesse solet in mora). *a)* Ind. topica; α) externe — ob inflammationem hirudines applicare et more Gallico permultos, oleum Hyoscyami ventri infricare nec non unguentum Mercuriale cinereum, tectum habere corpus et ne infrigescas cavere; β) interne — mucilaginosa et oleosa — et ad irritationem diminuendam — nervina — decoctum Aethaeae, gummi arabicum, oleum pedum tauri, spermaceti [1]), ceram [2]), ptisana Hippocratis etc., opium per clysmata, fomentationes aromaticae; tum alvum leniter ducentia — pulpa Tamarindarum, cremor tartari, aqua Selteriana cum lacte.

b) Indicat. general.; α) contra alvi evacuationes nimias — Cicuta, Belladonna, nux vomica [3]), plumbum aceticum [4]); (ascendendo a tertia grani parte ad grana duo intra horas XXIV.) contra humorum dissolutionem — tonica — China, Columbo decoctis saturatis,

---

1) Hufeland's Journal. Bd. 10. H. 4. P. 137.

2) v. Wedekind, über die Ruhr, herausgegeben von Danneberg. Frankf. a. M, 1811.

3) Optima forma datur tinctura Magendii:
℞. Strychnini. gr. III. (grana tria)
Spiritus vini rectificatissim. ℥I.
Solv. D. S. Bis inter XXIV horas VI ad XXIV guttas.

4) K. Kapp. Ueber das essigsaure Blei. Medic. Annal. 1817. Heft 7. July. P. 983. — Kopp, Beobachtungen im Gebiet der ausübenden Heilkunde. Frankf. a. M. 1823. P. 93.

inprimis autem acida mineralia et valde primum locum tonet acidum sulphuricum; β) contra febrem — quae est aut erethica aut synochalis aut torpida; huic triplici statui respondent aut eam haud turbare medicamentis, aut sanguinem mittere aut stimulantia adhibere, quae omnia therapia generalis nos docet.

Indicat. exituum. — Oportot vel crises sustinero vel euthanasiam colere.

Ind. convalescentiae. — Vinum gallicum rubrum et austerum, alimenta nutrientia nisi magnam assimilationis vim postulant, prae ceteris autem loci mutatio; mittas igitur convalescentes in altiores regiones meridionale coelum spectantes, in Valesiam, pagum Ticinum subjectum monti St. Gotthardi, nec non in regiones circa Comos et Chiavennam ubi arbitro Schoenleinio magna comitate et liberalitate excipiuntur.

In tota cura curiose prospiciendum est ne aegroti ex alimentis detrimenti capiant. Si magna sitis urget potio dari potest sed in cibis indulgeant aegroti et sumant tantummodo levioris generis scilicet eos qui pluribus morbis opitulantur quibusque pro viribus opus est. Ceterum non nisi medicum imperitum fugero potest omnia aegroti peculiari naturae (individualitati) aptanda esse et medicinae fidem probatam majoris semper ducendam esse quam medicamina illa specifica [1]) carnificum ludibria, quibus mundus decipi solet.

1) Inter hae nuperrime herbae Lieberkuehnianae alia que hujus farinae species tanquam saluberrimae perverse laudantur.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum Ego, Joannes Salomo Kappeler, evangelicae addictus confessioni Gynopedii (Frauenfeld) oppidi Helveto-Thurgoviensis M. Septembris anno MDCCCX., patre Georgio concionatore urbis sacro et matre Maria e gente Kappeler. Patrem mihi dilectissimum proh dolor jam quatuordecim per annos vita defunctum lugeo, matrem contra carissimam incolumen adhuc veneror. Cum in patria literis imbuendi copia non praesto esset praestantissimus avunculus meus Ill. Rudolphus Hanhart, V. D. M. Philos. Dr. ac Prof. nec non tum temporis Gymnasiarcha Basileam me arcessit ibique novem per annos paternam curam benige suscepit. Duce enim eo primis literarum elementis imbutus anno aetatis octavo Gymnasium quod ipso directore florebat petii ac sex annis praeterlapsis ad altiorem scholam Paedagogium dictam transii eamque ad vitae usque annum decimum septimum et dimidium frequentavi. Triennio inde absoluto maturitatis testimonio munitus Paschali tempore anni MDCCCXXVIII. inter

cives academicos Basileenses receptus et medicinae studiosis adscriptus sum ab illust. Jung t. t. Rectore Magnifico et medicorum ordinis Decano. Ex quo inde tempore quinque semestres hisce scholis interfui:

Gerlachi, exercitationibus de interpretandis auctoribus Romanis.

Eckert, de Mechanice.

Lommel, de Psychologia.

Schoenbein, de Chemia et organica et anorganica.

Bernoully de Physice.

Jungii de Anatomia generali secundum Bichati encheiridion, et his de anatomia speciali. Duabus hiemibus exercitationibus in cadaveribus dissecandis operam dedi. Usus sum etiam ejus praelectione de Chirurgia theoretica.

Roepori de encyclopaedia et methodologia medica, de materia medica, de botanice et plantarum phanerogamarum et cryptogamarum. Multum quoque temporis in eo versatus sum, ut excursionibus bot. plantas ipse collegerim.

Meisneri De physiologia et pathologia generali.

Miegii De ossium fracturis et vinculis chirurgicis. Ab eo etiam interdum cadavera mihi sunt concessa ut privato studio in operationibus me exercerem. Denique clarissimi philosophiae Doctoris Troxleri et tum temporis professoris creati de Anthropologia et physiologica et psychica.

Autumno anni MDCCCXXX me in Academiam Herbipolensem contuli, et ab Illust. Cucumo I. U. D. artis medicae studiosis adscriptus sum. Hic vero per annum et dimidium me docuere Ill. Schoen-

lein patholog. et therapiam specialem et de morbis syphiliticis doctrinam ill. D'Outrepont artem obstetriciam, ill. Pickel Chemiam ill. Ruland medicinam forensem. Per omne autem temporis spatium exercitationibus clinicis interfui medicis Schoenlein, chirurgis Textor et obstetriciis d'Outrepont, nec non de arte fascias imponendi.

Paschate anni MDCCCXXXII hanc Musarum sedem celeberrimam Berolinensem adii et ab ill. Marheinecke Rect. Magnif. in album relatus, ab ill. Rudolphi facultati medicae adscriptus sum. Audivi vero ill. Horn de patholog. generali et speciali morborum animi, ill. Link de toxicologia. In nosocomio caritatis exercitationibus usus sum chirurgicis Ill. Rust, ophthalmiatricis Ill. Jüngken. Quorum omnium virorum illustrissimorum, experientissimorum et amplissimorum erga me curas et studia praestita grato animo profiteor.

Studiis hisce academicis peractis Decanum nostrae facultatis quam maxime spectabilem Dr. ac prof. Rudolphi conveni summos medicinae honores assecuturus, et jam tentaminibus et examine rigoroso superatis in eo sum ut si gratioso medicorum ordini placuerit dissertatione et thesibus defensis doctoris gradus in me conferatur.

THESES DEFENDENDAE.

I. *Oportet ubi aliquid non respondet non tanti putare auctorem quanti aegrum et experiri aliud atque aliud. Celsus.*

II. *Plantae Euphorbiaceae Monoeciis adnumerandae sunt non Dodecandriis.*

III. *Nervus Sympathicus haud systema nervosum proprium constituit.*

IV. *Vasa lymphatica sunt unica absorbentia.*

V. *Series directe ascendens in classificatione et animalium et plantarum non sufficit.*

VI. *Corpus et anima eadem sunt.*

VII. *Falsum esse censeo quod pathologia generalis ante specialem docetur.*

VIII. *Egregie igitur nuper a summis medicis monitum est tironem ab ineunte jam cursu sic dicto theoretico ad lectulos aegrotorum ducendum esse.*

IX. *Rejiciendum est Boerhavi effatum nervorum morbos saepe oriri sine ulla materia vel mutatione humorum.*

X. *Summa ars chirurgi est non partes dissecare sed affectas sanare vel deformatas restituere.*

XI. *Medicina militaris justo sensu nondum existit.*

XII. *Carcinoma alio processu morboso continetur quam sola vasorum dilatatione.*

XIII. *Desiderantur et Medicinae et Materiae medicae historia pragmatica et Botanices critica et Pathologiae compendium congruum Medicinae hodiernae, nec non pathologia comparata.*

XIV. *Menstruatio talis processus qualis apud aves exuvias mutandi tempore fit.*

XV. *Torsionem arteriarum ligaturae longe praefero.*

XVI. *Arthritis et Haemorrhois ejusdem generis sunt species.*

XVII. *Ideae simplicissimae omnibus hominibus sunt communes et eaedem.*

XVIII. *Animi morbi rarius occurrunt in regnis monarchicis, quam in rebuspublicis.*

XIX. *Circumforaneorum est ad eundem morbum sanandum semper iisdem remediis uti.*

XX. *Inflammationes sic dictae occultae non nisi medicis occultae.*

XXI. *Venaesectionem exploratoriam Richteri aliorumque rejicio.*

XXII. *Juris consulti est non medici Medicinae forensi operam dare.*

XXIII. *Medicina haud minus a philosophia abhorret quam theologia et juris prudentia.*

XXIV. *Quae apud hydrocephalum acutum in cavitate cranii deprehenditur, saepius enim aqua in ventriculis effectus potius morbi quam causa esse mihi videtur.*

XXV. *Febris intermittens est morbus nervorum non systematis sanguiferi.*

XXVI. *Doctrina Galeni de febribus quasi morbis cardinalibus omnino nullius est pretii.*

XXVII. *Vivisectiones crudeles et inutiles sunt quia rarissime probant functiones vere vitales.*

XXVIII. *Homines non ab uno pari genitos esse puto.*

XXIX. *Arteriis vis vitalis propria male a quibusdam tribuitur.*

XXX. *Sectionem caesaream longe praefero perforationi fetus.*

XXXI. *Extractio lentis in superiori corneae parte multo aptior quam in inferiori.*

XXXII. *Summus inter medicos omnium aetatum atque gentium est Theophrastus Paracelsus.*
